



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Spes irrita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

*Judicium  
& Principum  
statua.*

Sed & abscissæ manus ipsæ hieroglyphicum suum habere, quod minime fuit prætereundum. Spectari enim solitas Thebis judicum statuas absque manibus, Plutarchus ait: & eam quæ Principem referret averfis oculis, ut justitiam & à donis alienam esse debere, & nulla mulceri facundia oportere significarent. Nam Stratoclem & Dromoclidem quis iniquo animo non ferat, quorum sermo omnis cum de Reipublicæ negotio aliquo capeffendo, deque tribunalibus colloquerentur, ut se invicem ad auream messem invitarent?

## DEI VIS. CAP. XXVIII.

Sane Janum, de quo plura alibi, veteres bicipitem, sed absque manibus & pedibus effingebant, quadrato lapide ab exili basi in latum exurgente. Indicabat id Dei vim, cui, neque pedibus, neque manibus opus est, ad ea, quæ jussu suo efficienda: utpote qui nutu solo totum potest mundum tremefacere, & ut apud Poetam, dicto citius tumida æquora placare. De statua vero Jani, quæ numerum CCCCLXV. dierum digitorum gestu indicaret, suo loco dicitur.

## PROVENTUS. CAP. XXIX.

*Artem. l. 1.  
cap. 45.*

Quamvis vero ita veteres justitiam informarint, apud Conjectores tamen reperias virum agendis causis nobilem, judiciumque & leges fama optima consecrantem, qui plures se habere manus somniaverit, prospera expectare, quod id portendat & clientum, & amicorum, atque etiam pecuniarum proventum exuberantem.

## VINCULA. CAP. XXX.

*Artem. ib.*

Imperitis tamen, maleficis & sceleratis hominibus, id somnii vincula minitatur, multas scilicet manus ad eorum coercionem expediri. Sed quoniam incidimus in proventum,

*Hom. Iliad.  
11.*

succurrit id Psalmo CXVII. *Labores manuum tuarum comedis*, apud Græcos τῶν καρπῶν scriptum esse, quare bene periti quidam, *Frucluum* potius, quam *Manuum* reddere: καρπός enim, tamen non quidem manum, non palmam, sed juncturam palmæ cum brachio significat, ut apud Homerum legas Venerem à Diomede vulneratam Ἰνὶ καρπῶ, ubi non

*Nempe junctura manuum cum cubito ex Arist. l. 1. de partib. animal. Virgil in Buc. Ecl. 1.*

pars pro toto, sed locus lethalis, & convulsioni obvius de industria designatur, ad criminis atrocitatem augendam: pro *Fruclu* tamen passim ponitur, & multa inde hujusmodi significatum vocabula. Erit itaque sensus, fructibus suis vescetur is, qui timet Dominum, nec impius hanc tam culta novalia miles habebit.



## SPES IRRITA. CAP. XXXI.

*Buc. Ecl. 1.*

Invenias & operum inefficaciam per præcisas manus significari, quæ vanas nonnunquam irritasque cogitationes, spesque hominum inanes indicant: quod ita scilicet opus ad finem, qui fuerat institutus, perduci minime possit: Et Mathematici nullius utilitatis & haudquaquam frogi hominem in lucem edi sub xvii. Geminorum gradu ostendere cum vellent, hominem eo loco utraq; manu mutilum pingunt, atque eum ignaviter consistentem.

## MINISTERIUM. CAP. XXXII.

*Dagonis manus abscisse. 1 Sam. c. 5.*

Sed longe alia de causa Mycerinus Ægyptiorum Rex, viginti colossos ancillarum circa filia cadaver circumstantium, truncis manibus, iisque humi ante pedes jacentibus erexerat: iis enim uxore manus absciderat, quod adulterii tam nefarii ministræ fuisset: uti scilicet pater sceleratissimo exemplo complexu filia abuteretur. Quod vero in Divinis literis primo Regum habetur, ubi Arcam Domini Palaestini prædam abduxerant, & in Dagonis idoli sui templo posuerant, mane repertus Dagon prolapsus contractusque, abscissis manibus: interpretes loco hoc, abscissis manibus, intelligunt fore tunc